DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROPE ANASARCA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HYDROPE ANASARCA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL BURD,

SCOTUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. ORD.

Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur. ——

PERSIUS, Sat. v. 19.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1809.

PATRI SUO DILECTISSIMO,

AMICORUM OPTIMO,

MELVILLO BURD,

ANIMI BENEFICIORUM NUNQUAM

IMMEMORIS

TESTIMONIUM,

PIETATIS SUMMÆ ATQUE REVERENTIÆ

PIGNUS,

HANCCE THESIN,

STUDIORUM PRIMITIAS,

D. D. Cque

SAM. BURD.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROPE ANASARCA.

Auctore SAMUELE BURD.

RAMULI, arteriarum corporis animalis, non omnes, in venas terminantur continuas. Præter enim missis hisce, qui, liquorum diversorum secretioni inserviunt; sunt et alii plurimi, quorum ope, cava omnia et cellulæ telæ cellulosæ semper irrorantur et madent; quo meliùs, variis, quibus, in machina vivente usibus, respondent, aptentur; quo atque, ne rigidæ et exsuccæ fiant partes, optimè præcavetur.

Hoc modo, attamen, dum vitatur Charybdis, in Scyllam nec minùs periculosam, inciditur; dumque arcetur exsucca partium rigiditas, "crescit indulgens sibi dirus Hydrops."

Neque tamen, in tanto discrimine, prolem Natura provida deseruit suam: fabrica humana, Divinæ Opificis peritiæ, specimen extat egregium. Quicquid enim effusum, quicquid inutile aut periculosum corpori infuerit, vasa sorbentia hauriunt et amovent, in sanguinis massam revehunt, idoneâ tandem viâ ejiciendum.

Absorptionis et exhalationis functiones, sano corpore, rationem, alia ad alteram, optimè servant; auctâ scilicet exhalatione, adaugetur absorptio; minutâ, atque imminuitur. Ex jam dictis, satis igitur patebit, Hydropem duplici modo oriri posse, et causas proximas, auctam exhalationem, minutam absorptionem, vel et ambas denique conjunctas, agnoscere.

Huic

Huic morbo, varia, secundum varias corporis partes, quibus forte insederit, nomina Auctores Nosologici imposuêre. Si telæ cellulosæ cellulas impleat aqua, *Anasarcæ* seu *leucophlegmatiæ* nomine cognoscitur: si abdominis cavum, *ascites abdominalis ;* si thoracis seu pericardii cavitates, *hydrothorax* et *hydrops pericardii* appellatur; quando in cerebri ventriculos, ovarium, tunicam testis vaginalem, effunditur latex, *hydrocephalus*, *hydrops ovarii*, et *hydrocele*, appellantur.

Harum hydropis specierum omnes, diversa quamvis comitentur singulas symptomata, easdem attamen ferè causas agnoscunt; haud rarò ægrum simul opprimunt, et plerisque demùm in exemplis eadem similiave remedia requirunt. Sed, quoniam et limites arcti hujuscemodi dissertationis, quo minùs harum omnium historiam eâ, qua par est, curâ, perscrutemur, vetat, nec virium tenuitas, tam ardua moliri sinit, pauca admodum ad Anasarcam præcipuè spectantia, nunc temporis proferre, in mente est.

Hunc

Hunc morbum apud CULLENI celeb. Nosologiam sic definitum habemus: "ANASARCA:—Corporis totius, vel partis ejusdem, intumescentia mollis inelastica."

HISTORIA MORBI.

Anasarca omnium ferè aliarum hydropis specierum comes est, et primum plerumque diatheseos hydropicæ signum. Pedum, talorum et denique crurum, vesperem versus, intumescentia levis, signum aggredientis Anasarcæ frequentissimum est. Hoc a situ corporis omninò pendet: hinc postquam resupinus per horas aliquot jacuerit æger, discedunt tumores, vel aliquatenus saltem minuuntur. Hi si digito vel levissimè premantur, foveolam mox ostendunt, quam cutis, quoniam resilire nequeat, justo diutiùs retinet: quod, pro effusionis serosæ signo vix non semper accurato atque certissimo habendum est. Aliquatenus attamen, vesperem versus, omnibus, et etiam valetudine optimâ fruentibus, pedes aliquando

quando tumidas fieri, minimè denegandum. Hujuscemodi verò tumores, nec gradu, neque duratione, verè morbosos æquant, neque demùm, ex causis tam levibus oriuntur.

Crudescente Anasarcâ, crura latiùs tument, nec noctu, ut anteà, detumescunt. Femora, tandem, nates, genitalia externa, et corpus demùm universum, flumine seroso obruitur. Nunc stadii, advesperascente die, extrema inferiora magnitudinem ægrè credibilem adepta sunt, et aurorâ adveniente, faciei integumenta latice plurimo, intumescere observantur. Quocunque porrò latere, lecto decubuerit æger, idem altero multò tumidius fit. Nec somnus vires fractas diutiùs reficit; languor verò et inertia corpus totum occupant. In hac, utì in aliis, hydropis specie, cutis arida, et coloris pallidissimi est. Sitis insedabilis ferè, et sæva, ægrotum continuò vexat, atque " quò plus est potûs, plùs sitiuntur aquæ." Nec urinæ fluxus, rationi fluidi assumpti respondet, parvulâ verò quantitate, redditur, colorem subrubrum ostendens, sedimentumque crassum lateritium brevi de-

positura.

positura. Ab morbi plerumque ortu, plurimùm deficit cibi appetitus; plura, haud rarò, dyspepsiæ symptomata urgent, et alvus ferè adstricta. Arteriarum pulsus gradatim debiliores, frequentioresque ferè evadunt. Per cuticulæ foraminulas aquosus nunc latex exsudat; vel tandem, vesicularum formâ, variis in corporis superficiei partibus, præsertim verò extremorum inferiorum, sese ostendit: hasce vesiculas ulcera pessima brevì excipiunt, haud rarò in gangrænam desitura. Interdum etiam cute verâ e musculis quos obtegit elevatâ, tumor oritur aquosus, firmitudinis haud facilè credibilis, pessimæ plerumque inflammationis speciei, erythematicæ videlicet, præcursor. Si demùm cutem, levissimè quanquam, inciderit vel punxerit chirurgus, quò facilior sit latici exitus, idem a vulneribus serpit erythema, vel gangræna nunquam non metuenda adoritur. Haud rarò dyspnœa et tussis sicca, morbum comitantur: et aliquando leipothymiæ creberrimæ ægrum vexant. Interdum, ex evacuationibus sponte ortis, signa omnia, subitò et inopinatè evanuêre.

nuêre. Aliis, verò, in exemplis, symptomata plura hydrocephali, vel et hydrothoracis, adoriuntur, et miseriis, et vitâ, pariter ægrum abripiunt.

SYMPTOMATUM RATIO.

Symptomatum, quæ suprà enarrare quàm brevissimè conati sumus, plura satis forsan explanatu facilia. Cellulas inter telæ cellulosæ omnes, liberrima exstat communicatio: hinc, serum effusum legi gravitatis parens, corporis inferiora petit, et occupat. Inde, ex maxima saltem parte, facies manè, talique advesperascente die, tumidi. Porrò monendum est, corpore erecto, fluidum minùs liberè, ad cor, redire; exhalantium actionem validiorem excitari, effusumque ideò magnoperè augeri. Vasa insuper lymphatica, absorptum, contra gravitatis vim, propellunt; hinc atque, absorptionis functio haud parùm impediatur, oportet. Cur plures hydropis species, simul, ægrum sæpiùs opprimant, quis non videt?

eadem

eadem nempè causa generalis, eodem modo, quin plures afficiat corporis partes, vix expectari potest. Vasorum exhalantium, vim minutam, et forsan etiam eorundem spasmum, cutis arida prodere videtur. Sanguinis rubri dilutio, et ejus superficiem versus distributio minùs libera, cutis palloris egregii rationem satis aptam, præbent. Sitim, et urinæ secretionem minutam, parti sanguinis aquosæ, a renibus, et oris cavo, faucibus et stomacho, in telam cellulosam versæ, cum CULLENO aliisque, relegare vellem. Urinæ paucitas, coloris ejùs rubicundioris, causam satis forsan ostendit. Dyspnœa, quâ interdum stipatur hydrops, aquæ, in pulmonis ipsius telæ reticulatæ cellulas, thoracis, pericardii, et abdominis cava, effusæ, bronchiorum expansionem liberiorem impedienti, referri solet. Respirationem verò difficilem, quicquid tracheam solummodò, et quamvis levissimè comprimens, e. g. ligatura colli arctior, efficere potest: nonne igitur simili agendi modo, dyspnœam hydropis anasarcæ, aqua in cellulis reticulatis, circa tracheam sitis, mag-

nâ

nâ copiâ collecta efficiat? Consensus iste mirandus, canalem inter intestinorum, et reliquum universum genus nervosum, cur, in anasarca, hujus afficiantur functiones, satis luculenter ostendit.

De arteriarum pulsûs mutatione, leipothymiis, et de omnibus denique corporis musculis debilitatis, haud dicendi opus esse videtur. Quia cuticulæ foraminulas serum ampliùs transire nequit, vel ob hujus spissitudinem, vel propter cuticulæ, cum reti mucoso subjacenti, nexum aliquo modo laxatum, variis in partibus, oriuntur vesiculæ; et cur ulcera dehinc provenientia, aliisve demùm cutis læsionibus, in gangrænam ruere procliviora essent, fractæ ægrorum vitæ vires, satis forsitan explicant.

Comatis, dyspnœæ, cæterûmque hujusmodi symptomatum, subitò supervenientium, facilem explicationem reddit fluidi hydropici in cerebri ventriculos, thoracis cavum, &c. metastasis.

CAUSÆ.

Hydropem omnem, ab effusionem inter et absorptionem amisso equilibrio, oriri jamdudum diximus; et causas proximas, auctam effusionem, absorptionem minutam, vel et ambas hasce conjunctas, agnoscere posuimus. Causæ igitur remotæ, modo horum alio, vel altero, agant oportet.

Inter causas, quibus augetur effusio, enumeranda veniunt, 1mò, Omnia, quæ vasorum fluidum serosum vehentium rupturam, vel sacculorum, denique, tale continentium efficere valeant; et 2dò, Quæ effusionem naturalem et solitam, adaugent. De quæ priorem effectum edunt causis, vix dicendi opus; pauca, verò, ad quæ, posteriorem efficiunt, referentia, proferre haudquaquam absurdum erit.

1mò. Quicquid sanguinis reditui, a corporis vasis extremis, ad cordis ventriculum dextrum, obstat, qualia, e. g. cordis ipsius variæ affectiones organicæ; cavarum polypi; arteriarum,

arteriarum, aortæ, vel pulmonalis, valvulæ in ossa conversæ; quæcunque demùm pulmonum obstructio, quæ, per eos sanguinis venosi transitum, aliquo modo, impedire possit. Huc insuper redeunt, aliquatenus saltem, corporis positura, in omnibus, præcipuè verò in iis qui hydrope laborant, effectus, quibus nempè post corpus diutiùs erectum, extrema inferiora tument. GREGORIUS noster, in prælectionibus de Medicina Practica, cujusdam viri et sanitate optimâ fruentis, exemplum profert, cui ab hac causa pedes, tali, cruraque, post triduum, ecchymosis vera invaserat.

Simili ferè modo, denique extremorum inferiorum, atqùe abdominis præsertim hydropi, originem sæpissimè, præbuere hepatis, lienis, aliorumque forsan viscerum abdominalium obstructiones; et partium corporis specialium, polypi, taliaque, venarum quibus instructæ sint impedimenta. Huc demùm aneurismatum, abscessuum, tumorumque variorum effectus, referre placuit; quæ omnia in corporis partibus, a corde remotioribus, causæ effusionis auctæ, sæpissimè fiunt. Eodem redit,

redit, aliquatenus saltem, extremorum inferiorum œdema, quod asciti abdominis, frequentissmè, fœminarumque graviditati, haud rarò, supervenire observatur.

Quidam, inter alias hydropis causas, plethoram, generis venosi, præsertim quæ a sanguinis evacuationibus quibusdam solitis suppressis, originem traxisse existimatur, recensuêre. Plurimùm verò, de hac re, dubitavit CULLENUS, qui suppressionem hydropemque, uni eidemque causæ, potiùs relegare voluit.

Causarum verò hydropis, longè omnium frequentissima, habenda est vasorum exhalantium vis imminuta, quæ corporis conditionem, magnoperè debilitatum comitari solet. Hinc, quæcunque debilitatem generalem afferentia,—ebriositas; evacuationes nimiæ; morbi antecedentes, veluti scarlatina, aliique ex Exanthematum ordine, eruptione pæsertim intus repulsâ; quartanæ longæ; diæta nimis parca; senectus incurva tremula, &c. morbi, de quo nunc agitur, seminium, sæpissimè progenerarunt.

Quas

Quas suprà recensuimus causas, omnes hydropem edere valent, nec peccante forsan sanguinis serosi quantitate. Nunc demùm monendum est, omnia quæ sanguinem tenuiorem reddunt, hydropi anasarcæ, in prædispositis præsertim, originem sæpissimè præbuisse. Huc aliquatenus saltem referendi sunt hydropes, qui nimiæ aquæ frigidæ copiæ, in ventriculum assumptæ, corpore præcipuè calefacto, sudori et urinæ a causa qualicunque suppressis, sanguini demùm, quocunque modo, fibrinâ spoliato, subsequi observantur. Eodem modo forsan accidit, ut morbis vires concoctrices afficientibus, et cibi ideo assimilationem impedientibus, quales sunt, chlorosis et diabetes, interdum superveniret hydrops.

2dò. Hactenùs de exhalatione aucta: nunc de absorptione minuta, pauca dicere restat.

Vasa lymphatica, tunicâ verâ musculari instructa esse, satis certè verisimile est: et istam, aliorum instar musculorum, paralysi, seu atoniæ, obnoxiam fore. Quæcunque igitur causæ, exhalantium laxitatem inducentes, simili

mili modo vasa lymphatica non afficere vix possunt.

Anne lymphaticorum seu glandularum conglobatarum obstructiones, absorptione impediendâ, hydropem efficere valeant, plurimùm dubitavit Cullenus; qui, propter horum vasorum anastomoses vix numerandas, fluidi per ea cursum tales causas impedire posse, vix credere voluit. Buboni attamen, in axilla sitæ, superveniens humeri œdema, anne rectè sanguinis venosi reditui impedito, omninò sit tribuendum, certè dubitare licet; quoniam non, exinde, solùm vena axillaris, verùm etiam lymphaticorum humoralium ferè omnium rami præcipui comprimantur oportet.

PROGNOSIS.

Morbus, de quo nunc agitur, omnium ferè aliarum hydropis specierum, medicamentis idoneis adhibitis, facillimè forsan curandus. In corporis superficie nempè, et inter musculos, vasa absorbentia vim suam mirabilem

optimè

optimè ostendunt; et latex effusus, cæteris paribus, citiùs, tutiùsque amovendus. Morborum verò omnium prognosis, a pluribus ægro unicuique propriis, pendeat oportet. Hinc quomodo fiat satis elucebit, ut dirissimum aliquando eventum haberet Anasarca. Si aqua effusa, partem tantummodò corporis occupaverit, a causa minùs generali provenerit, et amotu facili; eventum maximè faustum sperare licebit, dummodo fractæ ægrorum vitæ vires, quo minùs eveniret hoc, non vetarent. Si verò, corpus universum affecerit morbus, a causa generali vel difficillimè amovenda, ortus, si æger provectâ sit ætate; si corpus debilissimum, seu a morbo ipso sive quavis alia causa; si symptomata suprà enarrata plurimùm ingravescant, præcipuè verò si erythema vel gangræna adoriatur; si aliis morbi signis, subitò supervenerit coma, vel dyspnœa, in cerebri ventriculos, aliave corporis cava, effusionem insignientia,—de ægro miserrimo penitùs actum esse, medico ferè pronunciare licebit.

METHODUS

METHODUS MEDENDI.

Adversus hunc morbum, virtutibus verè mirandis pollentia, plurima fuêre prolata remedia. De iis, quæ medicorum hodierna sanxit experientia, pauca nunc proferre in animo est: prætermissis antiquiorum quantumcunque jactatis, quorum usum delevit provectior ætas.

Hydropis curandi indicationes tres, CULLENUS noster celeb. posuit.

1mò, Causas morbi remotas, quantùm fieri possit, amovere. 2dò, Serum jam effusum, e corpore detrahere. 3tiò, Vires systematis, et tonum generalem, reficere.

1. Quod ad harum priorem spectat, observandum est, quod, plerisque in exemplis causæ remotæ jamdudum ferè agere cessâre, priusquam accesserit morbus; hanc itaque indicationem vix talis momenti esse, quippe quarum

rum effectus solummodò medici attentionem sibi vindicant, causarum scilicet ratione ferè nullâ habitâ. Aliis verò in exemplis, causæ remotæ, quales ebriositas, fœminarum graviditas, hepatis, aliorumve viscerum obstructiones et prognosin medici et medendi methodum, ex necessario haud parùm dirigent.

2. Aqua effusa, duobus modis, detrahi potest; remediis scilicet vel localibus, vel quæ demùm, in corpus agunt universum.

Incisiones, puncturæ, fonticuli, vesicatoria, rubefacientia, frictio, atque compressio, remedia topica sunt; de quibus singulatim pauca sunt dicenda.

Vulnera ferè omnia corporis hydropici, in gangrænam ruere, adeò proclivia sunt, ut neque incisionibus, neque fonticulis, nec puncturis quidem nisi levissimis, locus esse potest. Si attamen ad puncturas confugere statuerit medicus, cavendum erit ne profundè penetrent, et ne alia alteri nimiùm vicina fiat. Cruris affecti, a superiore, ad inferius gradatim deferri, et sero emisso, statim obligari de-

bent vulnera quantumvis levia, ut primâ intentione (sic loqui amant chirurgi) sanentur. Vesicatoria intumescentiis aquosis aliquando profuisse, minimè denegandum; veruntamen, nisi morbi stadiis minùs provectis, cùm nec sero plurimo obruuntur partes, nec earum tonus multùm defecerit, summo cum periculo, talibus confugitur remediis, quæ gangrænæ sæpissimè originem præbuêre. In œdematis exemplis haud paucis, extremorum inferiorum præsertim, optimos quidem effectus edidit Frictio. Stadiis verò morbi provectioribus, levissimè perficiatur oportebit. Manè commodissimè ferè adhibetur, pannis laneis, oleo madefactis; cui camphoræ pauxillum, aut cujusvis alii suaveolentis, addatur; quoniam ægroti omnes, ferè decipi, et compositis, potiusquam simplicibus remediis, confidere volunt. Cellulas inter telæ reticulatæ omnes, liberrimam esse communicationem jamdudum diximus; et aquam hydropicam, ab aliâ, in aliam corporis partem, facillimè propelli posse, ex eo, quod de œdematis signis agentes suprà notavimus, clarissimè

elucet.

elucet. In œdemate itaque extrema inferiora afficiente, ex compressione levi, atque æquabili, qualem suppeditant caligæ, apud nostrates *laced stockings* nominatæ, manè præsertim indutæ, haud rarò optimi profluxisse observantur effectus. Stadiis verò Anasarcæ provectioribus, discrimine haud levi, ad tale confugitur remedium: si enim, per vasa excretoria, hocce fluidum non expelleretur metastasi subitâ, in cerebri ventriculos, thoracis, abdominis, seu et pericardii cava, iterum effundi potest. Ab aura electrica, parti cuicunque affectæ, et stadiis morbi ferè omnibus, immissa, haud rarò plurimum commodi expertum est.

Si partes œdemate laborantes, inflammatio invaserit, de omnibus, quæ vel minimè stimulant, cavendum erit. Nunc enim, neque vulnera vel levissima, neque vesicantia, neque frictio, neque compressio quantumvis æqualis, sine maximo gangrænam inducendi periculo, uti possunt.

Remedia serum evacuantia, quæ in corpus agunt universum, nunc persequamur; quibus

certè

certè in morbo generali præcipuè confidendum. Hæc, sub Emeticûm, Catharticûm, Diureticûm, Stimulantiûm, atque Diaphoreticûm, classibus recenseri solent. Horum medicamentorum omnium, in Hydrope amovenda, virtutes, ex hac machinæ animalis lege, pendent, absorptionem nempè et evacuationem eandem inter se rationem servare. Hocce itaque præmisso, de singulis medicamentorum viribus, pauca, quàm brevissimè, nunc proferamus.

Emesin, sponte ortam, Hydropem interdum amovere, satis docuit experientia. Hinc forsitan, ad Emetica confugitum. Eorum fortiora, veluti tartris antimonii, sulphas zinci, cupri, &c. summas, in absorptione promovenda, vires possidere dicuntur. Glandulæ quidem lue syphilitica, testesque virorum tumidæ, subsulphate hydrargyri, vel nauseâ denique marinâ, teste clar. HUNTERO Londinensi, sublevatæ, absorptionem promovere posse vomitum excitantia, satis forsan ostendunt. Plerisque verò in hujusce morbi exemplis, talibus haudquaquam confidendum est: perrarò certè

certè apud medicinam hìc exercentes, usurpantur.

Ex Catharticis, multò plus commodi, à priori, expectandum erit; quæ scilicet, alvi adstrictionem non solùm demovent, fluidi verò ex tubi intestinalis exhalantium oribus innumeris, copiam permultam detrahunt. Eorum quæ maximam assecuta sunt famam, fortiora primum tenuêre locum, jalappâ scilicet, cum submuriate hydrargyri, gambogiâ, aloë cum colocynthide, &c. Quod ad hæc verò omnia spectat, observandum est, ea, in exemplis mali haud paucis, nisi in aliorum remediorum auxilium vocata, frustrà omninò adhiberi.

Omnium verò medicamentorum, quæ urinam movent et Diuretica appellantur, longè præstantissima, quæ scilicet citiùs, tutiùs, jucundiùsque morbum levant. Meritò inter hæc, summum locum occupavit *supertartris potassæ*, qui, effectus etiam, ut multis placuit, deobstruentes, vix ipsius hydrargyri secundos, aliquando edit. Aquâ plurimâ solutus, vim diureticam maximè ostendit; dum sitim, in Hydrope signum sæpè molestissimum, optimè restinguit.

restinguit. *Scilla maritima* exsiccata, pulveris dose grani unius, nocte et mane, ratione grani dimidii indies augendâ, multis Hydrope Anasarcâ laborantibus sanitatem reddidit. Post remedium hoc, per hebdomadam, duas, vel tres assumptum, ferè excitatur diuresis liberrima. Neque famam, in hydrope amovenda, minorem, assecuta est *digitalis purpurea.* Tincturæ saturatæ guttæ x., bis terve indies, prout ægri viribus conveniat, sunt propinandæ; vel si pulveris aut pilulæ forma, ægri votis magis consentanea fuerit, dose grani unius, nocte et mane, ratione atque semigrani, secundo quoque die augendâ, præcipiatur. Hujus medicamenti in ægrum effectus, medicum, oculis quàm maximè attentis, observare oportebit. Ejus enim sub usu, omnes corporis functiones, brevi plerumque, et miro interdum modo, subitò deficiunt: et itaque, in vires vitæ sustentandas, ad remedia stimulantia confugere, maximè erit necessarium. *Spiritus ætheris nitrosi,* summo plerumque commodo, hocce cum remedio conjungitur usus; qui, et ipse, vi diureticâ nec minimâ,

mâ, gaudet. Medicamentis suprà recensitis, addantur quidam sales neutri, quales, carbonas, acetas, et nitras potassæ, qui in baccarum juniperi infuso soluti, effectus diureticos, et ipsi edunt, et aliorum forsan remediorum promovent. Ex tartrite ferri et potassa, in Anasarca Scarlatinam excipiente, haud parum commodi, utì nosmetipsi observavimus, expertum est.

Hydrargyri præparata ad actionem vasa sorbentia optimè incitare, omnibus innotescit: neque exempla defuêre, sub eorum exhibitione, diuresi quasi sponte ortâ, Hydropum penitùs, et derepentè amotorum. Scillæ verò, aut digitalis, in auxilium vocata, effectus præstantissimos edere observantur. Haud raró, *scillam* et *digitalem* alternare conveniet.

Ex Diaphoreticorum in hydropibus usu, præsertim qui a perspiratione subitò suppressa orti fuerint, et adhuc certiùs, si leni ptyalismo mercuriali afficiatur æger, haud parum interdum beneficii expertum est. Pulvis Doveri olim, nunc Opii et Ipecacuanhæ dictus, dosibus granorum x. vel xv. 3tiâ vel 4tâ quâque

horâ,

horâ, assumptus, a quibusdam commendatur. Neque balneum calidum non commendari meruit, plurimis in exemplis; aliis verò, pannorum laneorum ope fomentationes magis placent. Omnibus verò in Hydropibus, sudorem elicere valdè erit difficile.

3. Ad tertiam curationis indicationum, quas suprà posuimus, "corporis nempè vires et tonum generalem reficere," pauca, quàm brevissimè, spectantia nunc dicere restat.

In omni ferè Hydropis exemplo, vires, utì diximus, plurimùm deficiunt: morbus nempè, a debilitate primam vel traxit originem, vel brevi debilitatem et ipse inducit; hæc itaque curandi indicatio summam sibi medici attentionem, ut consciscat, quàm maximè erit necessarium. Ad hanc respondendam, diætæ nutrienti, aëri aperto, puro, nec humido, exercitationi leviori, frequenti verò, potiùs quàm medicamentis, aliisve demùm remediis, confidendum est. Hydropicorum cibus concoctu facilis esse debet. Neque liquoribus generosioribus, non omninò abstinere, lædit, qui non solùm urinam promovent, verùm optimè etiam vires

deficientes

deficientes suffulciunt. Eorum, cui nomen Anglicè *gin* impositum, quintuplo præsertim aquæ tepidæ permisto, maximè confiditur. Modica corporis exercitatio, Anasarcæ præsertim minùs provectioris, optimum est remedium. Omnibus, etenim, et etiam sanissimis, talos ex hac neglectâ, aliquando tumidos evadere, satis innotescit; et ambulatione, statum pristinum brevi recuperare; actione scilicet musculorum, fluidorum refluentium cursus promovetur, dum omnes corporis functiones meliùs perficiuntur. Morbo quidem provecto, ægro seipsum exercere, admodum erit difficile; nunc itaque, gestationi confugiendum erit. Hydropicis indusium laneum optimè conveniet, quippe perspirationi plurimùm favens, et, in exemplis pluribus, ut solito minùs laxum esset, haud absurdum erit. Nihil quoniam absorptioni opitulari, nihil corporis laxitati, meliùs obviam ire potest, quàm ista superficiei compressio æqualis, qualem talis vestiendi modus suppeditat.

Quod ad balneum frigidum spectat, notandum est, hocce remedium, quanquam ad corpus roborandum plurimùm valens, vix attamen ultimis debilitatis stadiis idoneum esse; ideoque Anasarcæ, nisi jam ferè depulsæ, nequaquam convenire.

Ex medicamentorum numero, cinchona, amara, ferri præparata, formâ præsertim oxydi, aut chalybeatarum, ad corporis vires reficiendas, maximè valebunt.

FINIS.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE RUBEOLA.

Cum nullum scribendi cacoethes, sed leges Academicæ, quæ aliquid hujusmodi ex omnibus medicinæ gradum ambientibus postulant, me scribere cogunt, de morbillis, quam brevissimè potero, tractaturus sum, ne millies repetita ambitiose prolata fastidium moveant.

Definitionem hujus morbi, quam protulit Cullenus, rei medicæ egregius auctor, utpote cæteris feliciùs excussam, hic recensendam esse satius duxi:

"Synocha contagiosa, cum sternutatione, epi-
"phora, tussi sicca rauca.

"Quarto die, vel paulo serius, erumpunt papu-
"læ exiguæ, confertæ, vix eminentes, et post tres
"dies in squamulas furfuraceas minimus abi-
"entes."

HISTORIA.

INEUNTE hoc morbo, haud secus ac in aliis morbis febrilibus, ægri inhorrescunt, caloris frigorisque vices subinde conqueruntur; imminuta est cibi appetentia, arteriarum pulsus aliquantum concitantur cum siti, lingua alba, humida tamen, tussi sicca, rauca, perquam molesta, et gravi anxietate: Secundo vel tertio morbi die, febris ardentior accenditur; cutis arida; respiratio frequens, anhela, suspiriis sæpè interrupta; cibi fastidium, nausea et vomitus. Dolores vagi diversas

corporis partes, caput præsertim, dorsum et lumbos occupant. Facies rubore suffunditur, oculi ardentes et inflammati pruriunt, illachrymant, et lumen refugiunt; interdum palpebræ ita intumescunt, ut lucis aditum omnino præcludant.

Humor tenuis et acer e naribus depluit, et crebra concitantur sternutamenta. Nonnunquam sanguis e naribus prorumpit, quo dolores capitis mitigari solent. Alvus varia est, nunc astricta, nunc fusa, nec aliquid mali secum affert. E faucibus quadam inflammatione correptis facultas deglutiendi impedita est, et saliva præter consuetudinem excernitur. Interdum tremores, tendinum subsultus, delirium vel coma superveniunt; ægri morosi fiunt et inquieti.

Die quarta eruptio plerumque primum conspicitur, modo autem citius modo serius prorumpit. Maculæ parvæ, rubentes, confertæ, pulicum morsus referentes circa frontem prodeunt; hæ tan-

dem coeuntes faciem latis suffusionibus imprimunt; hæ quoque pustulæ, etsi earum elevatio supra cutem oculorum aciem fere effugiat, tactu exploratæ nonnihil asperæ sentiuntur. Ex facie maculæ in collo, pectore, brachiis et universo denique corpore semet produnt, ita ut quinto ut plurimum die eruptio omnes corporis partes commaculaverit; hæ tamen maculæ ultimo prodeuntes minus quam in facie eminent. Die secundo post eruptionem pustulæ dilutius rubent, tertio colorem subfuscum induunt, et duorum vel trium dierum spatio omnino decedunt, squamulis furfuraceis e cuticula ruptâ relictis, quæ pruritum molestum movent; nulla autem vestigia post se relinquunt.

Eruptione factâ, ægri minimè ac in variolis Levantur, nonnulla autem morbillorum signa sæpè mitiora evadunt, febris ardor aliquantulum defervescit, dolores remittunt, mens minus turbata est, et nausea et vomitus prorsus cessant. SYDEN-

HAMUS se nunquam vomitum post eruptionem vidisse testatur. Tantum autem abest ut tussis conquiescat, quin potius exasperetur; adhuc quoque perstant spiritus difficilis, oculi rubri, lucem aversantes, et lachrymarum effusio, nec vim remittunt, donec desquamatio supervenerit; nec raro ad hoc morbi tempus, sudore universo, alvi fluxu, vel alia quadam evacuatione sponte aborta, morbilli solvuntur; diarrhœa vero non semper in salutem cedit, sed pertinax ægri vires convellit, omni ope cohibenda.

Morbus vero, cum pustulæ in squamulas abeunt, nequaquam periculo caret, contra discriminis sæpè plenus; hoc enim tempore omnia signa nonnunquam ingravescunt: febris, tussis, et spirandi difficultas auctis viribus redeunt, et ægrum tandum opprimunt.

Etsi morbilli, præsertim si mitiores fuerint, hoc ordine usitatius incedant, et hisce temporibus

varia stadia absolvant, haud rarò e lege solita multum deflectunt, decursum minus regularem tenent, et signis gravioribus stipantur.

In morbillis anomalis maculæ nunc multo citius, nunc multo serius prorumpunt; interdum secundo morbi die in conspectum veniunt; est ubi ad sextam vel etiam octavam diem delituerint. Febris, hanc speciem rubeolæ irregularem comitans, magis solitæ intenditur; tussis sicca et rauca, summa anxietas, gravis spirandi difficultas, et molesta pectoris oppressio, etiam ab initio, ægrum fatigant. Nec papulæ semper primum in facie semet ostendunt, sed humeri et pectus his efflorescunt, denuo in faciem erupturis: Nec idem maculis constat color, quæ nunc pallent, nunc livent, vel etiam cum pessimo eventu nigrescunt.

Ex dictis satis liquet morbillos, quo magis e norma regulari recesserint, eo graviores futuros.

Gravissimum et putridum morbillorum genus, quod annis 1763 et 1768, Londini invaluit, à WATSONO describitur. In hac abnormi morbi specie, febris et alia signa typhum multum retulerunt; et medendi ratio typho accommodata contra vim morbi pestiferam potissimum valuit. In hoc maxime maligno morbillorum exemplo, oculi aqua suffusi, rubri, tussis, et insignis virium prostratio, inter prima morbi prænuntia apparuêre. Die secundo, cum febre intentiore et gravi capitis dolore maculæ in conspectum prodierunt. Pulsus citatiores, raro pleni fuere, et ægri de calore vehementi, summâ inquietudine et oppressione, siti importunâ, spiritu difficili, et viribus plurimum resolutis conquesti sunt. Die quarto exeunte, eruptio ut plurimum evanescebat.

Stadium autem hujus morbi maligni periculosissimum, calore febrili, et efflorescentia decedentibus, superveniebat. His morbillis correpti ex

oculis adhuc graviter ægrotabant; tussis sicca, spirandi difficultas, et anxietas potius intendebantur, arteriarum ictus crebri, debiles et inæquales, cum viribus penitus exhaustis, et sæpe gravi alvi fluxu. Delirium tunc temporis accedens mortis instantis indicium fuit.

Quæ e cadaveribus peremptorum inspectis apparuerunt, naturam ejus malignam ulterius docuerunt; in variis enim corporis partibus sphaceli notæ manifestæ fuere. Morbilli autem, qui vulgo sese nobis offerunt, febrem ardentem et inflammatoriam sibi comitem adjungunt, et sanguis in his missus tunica tenaci et alba semper coopertus est.

Hic quoque morbus infamis est ex multis vitiis, quæ eum interdum consequuntur, et corpori noxas, graves quidem, nec semper arte reparabiles inferunt.